



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt viri veraces & Deum timentes, in ciuitatibus & in publicis vicis decani
constituantur. ccxxxix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De prædicatione presbyterorū. Cap. CCXXXVII.

Ex cōcil. Triburiē si cui inierfuit rex Arnolph. **P**Ræcipimus vobis, vt vnusquisque vestrū super duas seu tres hebdomadas, diebus dominicis seu festiuitatibus sanctorum, populum sibi commissum doctrinis salutiferis ex sacra scriptura sumptis in Ecclesia sibi commissa post Euangelium perlectum instruere studeat, & iubeat illis, vt nullus de Ecclesia exeat, antequam à presbytero siue diacono vltima laus, id est, benedicamus domino, ante missa est, pronuncietur.

De ecclesiasticis si seculares potestates habere desiderant. Cap. CCXXXVIII.

Ex epist. Gre. pape Secundo sermo Dei recluso directa. **C**ertum namque est non vos ante exercitui ducem præponere, nisi vobis labor eius fidesque compleret, & nisi eum ante actæ vitæ virtus & sollicitudo aptum esse monstrauerit. Si verò non aliis nisi huiusmodi virtutibus committitur gubernandus exercitus, qualis dux esse debebat animarum ex istius bonæ rei comparatione colligitur. Sed verecundum nobis est, & dicere pudet, quia sacerdotes sibi ducatum arripiunt, qui exordium religiosæ militiæ non viderunt.

Vt viri veraces & Deum timentes, in ciuitatibus & in publicis vicis decani constituantur. Cap. CCXXXIX.

Ex cōcil. Rotoma. cap. 9. **V**T populus admoneatur vt in dominicis & festis diebus omnes ad vespertas, & nocturnas vigiliis, & ad missam omnimodis occurrant, & vt decani in ciuitatibus & in vicis publicis viri veraces, & Deum timentes constituentur, qui desidēs, & negligentes commoneant, vt ad Dei seruitium absque occasione properent, & vt ipsi decani sacramento adstringantur, vt nulla interueniente causa, scilicet, aut amoris, aut timoris, aut propinquitatis muneris, negligentes & transgressores reticeant, quin sacerdotibus proprias eorum culpas manifestent. Sacerdotum autem erit ita eorum vitia, zelo & amore diuino, cum debita disciplina corrigere, sicut ipsi nolunt pro aliorum erratibus sententiam iustæ damnationis suscipere. Et vt dies festi à vespera vsque ad vesperam absque opere seruili cum debito honore celebrentur.

FINIS LIBRI SECUNDI.